



ANTONIA Marci Antonij & Octavię sororis Augusti filia maior, Domitio Aenobarbo nupsit, ex quo matrimonio natus est Cneus Domitius Neronis pater, omni parte vitę detestabilis, vt inquit Suetonius, in Nerone Imperatore Romanorum 6. de quo mox tractabimus.

LEPIDA DOMITIA Cnei Domitij Aenobarbi patris Neronis soror fuit. Consulito Caium Suetonium Tranquillum in Neronis Imperatoris 6. vita, si initium sumas à Caio Iulio Cęfare, quod vbiq; factitamus. Cęterum quod attinet ad Aenobarbi cognomentum, atque huius vocabuli (quod subobscurum est) rationem siue interpretationem, visum est quod scriptum reperi edere. Cüm, itaque, Castor & Pollux Helenę fratres, Domitio victoriam aliquando nuntiarent, ipsęque narrantibus minimę crederet, malas, barbámque manibus attrectarunt, atque eam contrectando (si credere dignum est) ex fusca flauam effecerunt: vnde à rutilo, æneóque barbę colore, Aenobarbi cognomen accepit Domitius, quod postea in familiam transiit, virisque ex ea ortis peculiare id nominis fuit. Vide Ludouicum Cęlium Rhodiginum, lib. antiquarum lectionum 29. cap. autem 8.